

sive ex alia quavis materia facta, è quibus tanquam partibus Astrolabium componitur: per formales; diuersos circulos, lineas & puncta in eiusmodi partibus materialibus inscripta.

In secundo Capitulo, usum instrumenti Astronomicum.

In tertio Geometricum mira facilitate perstringemus, adiunctis etiam nonnullis demonstrationibus, quæ aliorum Instrumentorum aduinculo haberi possunt; ita ut absoluto & bene intellecto hoc qualicunque opusculo, facilem quis aditum ad reliquorum Instrumentorum cognitionem & usum habere possit.

## DE CONSTRUCTIONE ASTROLABII eiusque partibus Capitulum I.

Astrolabium dicitur quasi Astrorum ansa seu manubrium: Georgius Valla Astrolabum vocari mauult per eum namque astrorum motus examinamus. Dicitur & Planisphœrium, quasi sphœra in plano descripta, è cuius partibus omnium prima est armilla seu annulus suspensorius, quo Astrolabium liberè pendere possit, cui succedit ansa, quæ armillam seu annulum illum cum Astrolabio connectit: Ansæ adhæret ipsum Planisphœrium seu Astrolabium, in quo duæ sunt facies; una anterior, altera posterior, quæ & dorsum appellatur. Anterior cavitatem habet circularem, recipiendis tympanis aptam, quæ Mater à nonnullis appellatur. Circa hanc cavitatem in margine faciei circumquaque limbus est in 360. partes æquales diuisus, quæ partes gradus æquinoctialis referunt, & earum quælibet rursus in 60. scrupula seu minuta secatur, & semper quindecim gradus horam efficiunt æquinoctialem seu æqualem.

Intra hunc limbum, in cavitatem illa rotunda, quam matrem vocari diximus, continentur variæ tabellæ rotundæ, quæ tympana communiter nuncupantur, pro varia eleuatione poli su-

pra